



Disputatio juridica inauguralis de substitutionibus

<https://hdl.handle.net/1874/342827>

18

D I S P U T A T I O J U R I D I C A
I N A U G U R A L I S
D E
S U B S T I T U T I O N I B U S,

Q U A M

S U B P R Ä S I D E D E O T E R O P T . M A X .

E x auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS MUNNICKS,

R e i p . Ultrajectinæ Poliatri , atque in inclytâ ejusdem Academiâ
Medicinæ Anatomes & Botanices Antecessoris Ordinarii ,

N E C N O N


A m p l i s s i m i S e n a r u s A c a d e m i c i c o n s e n s u & Alma
F a c u l t a t i s J U R I D I C Æ D e c r e t o ,

P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,

S u m m i s q u e i n U T R O Q U E J U R E H o n o r i b u s &
P r i v i l e g i i s r i t e c o n f e q u e n d i s ,

E r u d i t o r u m e x a m i n i s u b j i c i t

J O A N A B E I B E R G E N , Diepenh. Transfisul.
A d diem 1. Julii , horâ locoq u e s o l i t i s .




T R A J E C T I A D R H E N U M ,

E x O f f i c i n â F R A N C I S C I H A L M A , A c a d e m i æ
T y p o g r a p h i O r d i n a r i i , c l o l c LXXXV.

*Nobilissimo, Illustrissimo, Generosissimo,
Strenuissimo, & omni virtute ac
Sapientia Conspicuo VIRO,*

D.D. HENRICO
B E N T I N C K ,
Domino hæreditario in Diepenheim
Satrapæ Tubantiae & legionis
equestris Tribuno. Uni ex Patribus
Patriæ meæ &c. Domino, Patrono,
Fautori ac Promotori suo



*Hanc Disputationem Inauguralem
& semetipsum*

In observantiae signum

D. O. C.

JOAN. AB EIBERGEN.
AUCTOR.



PRÆFATIO.



Ostquam conditor & creator hujus universi
omnia creasset, & nihil huic operi deeset,
quam aliquid animal excellens, quod Deum
super omnia laudaret & magnificaret, su-
perinduxit hominem præditum non tantum
terrena cognitione, sed præscriptum spirituali
& cœlesti, quoniam ad imaginem ipsius
creatoris erat conditus, consistentem in san-
ctitate, justitia, & dominio, ita ut cum
Deo suo sancte, cum homine juste, cum cœteris omnibus rebus do-
minice vivere posset. Deus præterea terre mandatum omnia ad suffi-
cientiam homini proferenda sine ipsius labore, & opera dederat.
Homo tamen variis illis virtutibus & dotibus animi excellens, &
divitiis totius mundi onusstus, non din se in illo glorioso statu con-
tinuit, sed instigatus à Diabolo, & inflatus nimia ambitione rejicit
ab humeris suis dulce & lene illud jugum Dei, & spoliavit se
omnibus illis donis, adeo ut jam non amplius cum Deo suo sancte,
cum homine juste cum cœteris rebus dominice conversari posset. Sed
è contra accepit Deum inimicum, qui ipsi injunxit alia mandata &
præcepta, inter qua etiam fuit illud de terra colenda labore manuum
& sudore vultus ad victimum & amictum sibi querendum. Cum jam
homo omnia labore sibi acquirere deberet, & terra ipsi ad sufficien-
tiam quotidie non produceret, statim avarus esse cœpit, illa avari-
tia motus sibi omnia reservare voluit, & aliis invidere cœpit, alii
contra iterum sibi omnia acquirere volentes: præterea ille suavis
status primævus ante oculos versabatur, in quo statu omnia erant

accipienti, factum est, quod unusquisque non jure, sed vi omnia,
qua poterat, ad se trahebat, unde tum quocius cedes, vulnera,
rapina, dissidia. Donec tandem homines lassi istis infortuniis pacem
inierunt, & terram inter se diviserunt, huic illam partem, isti aliam
adjudicantes, ex qua divisione homines tum Dominum acquisiverunt.
Dominio jam multarum rerum acquisito homo videns ex-
perientia se non posse in hisce terris semper manere, sed ipsi semel ad
alium locum migrandum esse, cogitavit de bonis suis relinquendis
suis liberis, & posteris, unde tunc quasi communis consensu omnium
facta est successio ab intestato, qua liberi, hisce non existentibus,
proximi in sanguine constituti, omnia, que defuncti erant, accipe-
rent. Sed cum jam male meriti aliquando ad successionem vocarentur,
& bene meriti nullo commodo afficerentur, nec ullo bono remune-
rantur, insecuria denique est testamenti factio, in qua non tantum
erat primi heredis institutio, (qua est designatio heredis in univer-
sum jus, quod defunctus tempore mortis habuit) sed & secundi,
(ne forte tanquam intestati decederent) heredis institutio n: si primus
ille heres aut nolcat aut non poterat esse heres, que vulgo substitu-
tio vocatur. In qua materia jam pertractanda mibi inspicendum
erit. Quid sit substitutio, quinam substituere possint, quibus substi-
tui, quomodo substituuntur, effectus & finis substitutionis.

DIS-

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
SUBSTITUTIONIBUS.



Væ est una ex quatuor materiis, nempe de possessione, Probatione, jure Fisci, & substitutione à Clarissimo Senatu Academico mibi præscriptis.

T H E S I S I.



Ubstitutionis verbum generale est significans surrogationem & suffectionem in locum alterius, sic Judex in l. 20. ff. judic. solv. substitui, & sic multa exempla occurunt, ut procurator, arbor, pecus substitui. Sed specialius ad ultimas voluntates refertur, in quibus heredi heres, fideicommissarius heredi l. 41. §. 1. h. t. l. 64. l. 77. §. pen. l. 87. §. 2. de leg. 2. Atque hinc vulgo Doctores substitutionem dividunt in fideicommissariam & directam. Fideicommissaria, qua heres directus verbis precariis rogatur ut hereditatem restituat: dict. textt. Directa quæ sit verbis directis & civilibus, exempli gratia: *Titius heres esto*, si *Titius heres non erit*, *Cajus heres esto*. Et sic non tantum heres heredi, sed & legatarius legatario substituitur. l. 50. de leg. 2. Hæc ultima proprie substitutio est: fideicommissaria tantum improprie, quia substitutio est heredis institutio l. 26. §. ult. ff. de condit. & sit in locum deficientis heredis l. 3. l. 69. de acq. & omitt. hered. Sed ut fideicommissaria à directa separetur, nonnullas statim differentias ostendam. Directa valet ipso jure, precaria precibus l. 19. ff. de testam. mil. Directa fit verbis directis, fideicom.

6 DISPUTATIO I JURIDICA

verbis precariis, 3. Directa facit heredem testatoris, fideicommissaria non.

I I.

Substitutio autem directa est secundi heredis institutio l.43. §.9. ff. b.t. & nihil obstat quod dicitur institutionem posse fieri non tantum primo sed & 2,3,4. & ulteriori gradu, est tamen secundi heredis institutio, quia respectu ei, cui substituitur, semper est secunda, sic secundæ nuptiæ vocantur, quæcunque contrahuntur post primas. tot. tit. C. de secund. nupt. Hæc jam substitutio varie à Doct. dividitur, nempe in vulgarem, pupillarem, exemplarem, breviloquam, cum heredes instituti invicem substituuntur; compendiosam, quæ sit his verbis *quandoenque decesserit*, & militarem. Sed quoniam tantum duo sunt casus substituendi, merito alii duas tantum dari statuunt, n: Vulgarem, *si heres non erit*, & Pupillarem, *si heres erit*, l. 4. l. 45. b.t.l.8. C.cod. sub quibus recte comprehendendi cæteræ possunt, & compendiosa & breviloqua sunt modi substituendi, sed non species separatae, Militaris modo est vulgaris, modo est pupillaris, & ob exorbitantiam, quæ est in milit. non est alia statuenda, nempe quod ultra pubertatem adhuc possit substituere, non jure substitutionis, sed jure fideicomm. Sed quia in quasi pupillari aliquæ differentiæ sunt diversæ à pupillari, separatim de ea agemus. Si alius tamen vellet dicere, dare tantum simplicem substitutionem Vulgarem sc: non aberrabit, quoniam ea tantum est substitutio, alia proprie est diutorum heredum institutio. §. 2. Inst. de P. S.

I I I.

Vulgaris, à vulgari & usitato substituendi modo, vel quia vulgo & promiscue fit omnibus heredibus, à quovis testatore, substitutio est, qua testator primo heredi in casum *si heres non erit*, in testamento, non tantum unum, sed & plures substituit l.3. C.b.t. Dixi testator i.e. habilis ad testandum. Habilis ad testandum est omnis is qui non prohibetur. Prohibentur autem filiusfamil. l.6. ff. qui test. fac. nisi tantum de bonis castrenibus & quasi, l.12. Cod. q. testam. fac. in quibus etiam bonis substituere. Obsides populo R. dati l.11. ff. cod. nisi ipsis specialiter concessum. Impubes §. 1. Inst. de test. Muti & surdi l.6. §.1 ff. cod. sed tamen à principe impetrare possunt

l. 7.

I. 7. eod. per accidens facti possunt *I. 10. C. eod.* Cœcus secund. *I. 8. C. eod.* De statu suo dubitantes & errantes *I. 15. ff. eod.* Capti ab hostibus nisi à latronibus, *I. 13. ff. eod.* Relegati vero possunt *I. 8. §. fin. ff. eod.* Damnati ad mortem, ad metalla, Peregrini, Monachi Prodigi, Carminis famosi damnati, Apostatae, hæretici, incestis nuptiis se polluentes, & uno verbo omnes, qui non possunt testamentum facere, non possunt substituere, quia omnis substitutio ab institutione pendet.

I V.

Cuivis hæredi sc. instituto, omnibus enim hæredibus substitui potest, non tantum suis, i. e. libefis proxime in potestate constitutis *princip. inst. P. S.* Sed & extraneis, *i. n. t.* Imo etiam servo *I. 41. ff. de hered. inst.* Imo etiam incapaci, ut relegato, nam ideo testator substituit, ut habeat heredem testamentarium, quinam vero incapaces sunt facile videri est *ex ff.* Sed queritur, si indignus aliquis sit institutus, & postea tali indigno substitutus datus (*de his vide tit. ff. de his quæ ut indign. aufer.*) an jam tali casu fisco adjudicanda sit hereditas, an substituto. Mihi videtur distinguendum esse. Num talis indignus adiit hereditatem, putans se posse esse heredem; num repudiavit & heres esse noluit. Priori casu Fisco hereditatem deferrit, quia ipse indignus adeundo excludit substitutum *I. 5. C. de impub. & al. subst.* & tum fisco non tantum bona, sed etiam actiones addicuntur *I. 9. ff. ad Senat. Silan.* At in posteriore casu culpa heredis instituti non debet nocere substituto. *I. 8. §. 14. ff. de inoff. test.* præterea conditio illa jam existit, quæ admittit substitutum, nempe, si alius heres non erit.

V.

Eum in casum, si heres non erit in suo significat, si se non immiscuerit bonis paternis, vel se hereditate paterna abstinuerit, cum enim suus ipso jure existat heres *I. 11. ff. de liber. & post. hered. Inst.* quia vivo patre quodammodo est dominus rerum paterni, & in ipso presumitur continuatio dominii *ead. I.* & cum ipsi nulla erat libertas abstinenti, nisi à prætore concessa esset, pater ipsi substituendo concessisse videtur jus abstinenti, ut ipsi non opus sit beneficio Prætoris abstinere, nam conditio ista facit heredem voluntarium ex necessario *I. 12. ff. de condition. Inst. n.* ratione actus secun-

DISPUTATIO JURIDICA

secundi, quo actu secundo sui heredes exercent jus hereditarium ipsis acquisitum, & commoda & incommoda percipiunt. Sed in actu primo sunt ipsi heredes, etiam ignari, propter l. 11. ff. de lib. & post. & ipso jure & per nudam existentiam, l. 30. §. 10. ff. de fidei-comm. libert. Jam nunquam ipsis remitti potest illud jus ex actu primo profluen^s, propter rationes allegatas, sed ipsis remittitur exercitium ex actu secundo emanans. Unde jam facile liquet an suitas per substitutionem tollatur. Quod audacter negatur: Quia essentia suitatis consistens in eo, quod quis primum & proximum gradum in familia obtineat immutari nequit, & quod suus sciens ignarusve heres sit & maneat. Nam habet heredem, ut regula juris, qui habet suum etiam si abstinentem. In necessario vero sc. servo, hæc adeundi necessitas etiam sublata videtur per l. 12. eand. quod ipsa ratio indicare videtur, quia dominus dans substitutum non videatur ludere cum substituto, & quia testator ipso facto præsumatur renunciare favori suo, nempe qui erat introductus per §. 1. Inst. de hered. qualit. & diff. Sed si tamen aliquis velit, potest dicere, servum ad additionem non cogi, si substitutus velit adire, at contrarium esse, si substitutus nolit adire, ne testator moreretur sine herede. In extraneo vero sui juris significat, si non adierit hereditatem, nec mutato forte statu alii acquisierit §. ult. Inst. h. t. In alieno vero juri subjecto, si ipse interea temporis aut liber factus non heres exstiterit, vel alium heredem non fecerit. §. ult. Inst. h. t. Hoc quidam jam sic statutum est in eo, quem testator alieno juri subjectum scit, quid tamen dicendum, si ignoraverit existimans eum liberum. Imperator respond. hereditatem dividendam esse inter Dominum servi & substitutum, ita ut dimidium unicuique adjudicetur. Et tunc non obstat lex 40. ff. de hered. Inst. quia ibi vel duo heredes sunt instituti, vel pro alter semis, legendum as. In alterius potestati subjecto n: filiofam: significat si ipse pater fam: factus non adierit hereditatem, vel patrem heredem fecerit. Quid tamen dicendum si filius repudiavit hereditatem a pater potest adire. Additioni patris locum fore puto, quia filius non potest nocere patri repudiando l. 13. §. ult. ff. de acq. & omitt. her. jus adeundi patri datur l. ult. C. de bon. q. lib. & pater & filius sunt una eademque persona. Alii hic distinctionem cudent, an nim;

filius

I N A U G U R A L I S.

filius sit institutus respectu patris, quod tum valet opinio pro parte: si non, sed respectu filii, minime: Ad hæc verbapräterea, *si heres non erit*, magna controvertitur quæstio, n. si testatordixerit, *si heres esse non potuit*, aut *heres esse noluit*, an casus noluntatis sub se comprehendat, casum impotentiae & vice versa. Quia omnis substitutio sit eum in finem *si heres non erit*, *alius heres erit*, & confirmat l.3. C. de her. instit. l. 16. ff. solut. matrim. l. 22. ff. ad Sc. Tribell. si heres esse noluerit, aut non potuerit opponitur, *si heres esse voluerit*, & voluntas intelligitur non nuda sed efficax.

V I.

Alium substituit heredem. Potest enim testator non tantum unum substituere sed & plures §. 1. Inst. b. t. l. 36. ff. b. t. etiam sibi invicem heredes l. 37. §. 1. ff. de heredib. instituend. & hæc est, quam Modestinus l. 4. §. 1. reciprocam vocat substitutionem Doctores vulgo breviloquam. In testamento: nam sicut heredis institutio, quia est caput ac fundamentum totius testamenti, debet fieri in testamento sic etiam substitutio pr. Inst. b. t. Unde queritur, num substitutio facta in codicillis, valeat jure fideicommissi, quod multi Doct. affirmant, sed negativa sententia mihi arridet, & juri magis consentanea est l. 7. ff. b. t. quod tamen limitandum, si testator adjecerit clausulam salutarem §. 2. Inst. de Cod. vel si verba obliquari possunt. Hæc substitutio est velexpressa vel tacita. Expressa quæ fundata est in expressa voluntate testatoris: exempl. g. *Tertius heres esto*, *si Tertius heres non erit*, *Sejus heres esto*. Tacita quæ ex expressa pupillari deducitur l. 4. ff. b. t.

V I I.

Effectus jam substitutionis est quod deficiente instituto admittatur substitutus. §. ult. Inst. b. t. l. 3. l. 69. ff. de acq. & om. her. qui tunc in easdem partes succedit, quas habiturus fuisset institutus l. 5. l. 24. b. t. l. 1. Cod. eod. Etiam si disparibus partibus instituti essent, & sibi invicem substituti videntur acquirere partes hereditarias, sed non viriles. ex. g. unus ex uncia, secundus ex octo, tertius ex quadrante, repudiante tertio, in novem partes dividitur hereditas; feratque octo partes secundus, primus unciam l. 24. ff. b. si enim non evidens fuit diversa voluntas testatoris, eadem partes præsumuntur datæ in substitutione quæ in institutione l. 74. ff. de leg. 1. si vero testator repetierit nomina heredum propria videtur eos substituisse in partes viriles l. 24. ff. ad Sc. Trebell. l. 124. ff. de leg. 1. Si vero testator Sempronio & Cajo heredibus institu-

ro DISPUTATIO JURIDICA

tis Cajum sempronio, Cajo denique Marcum substituat, jam vero Sempronio primo deficiente postea Cajo, Marcus partes & Sempronii & Caji habebit ex substitutione §. 3. *Inst. b. t.* sed non jure accrescendi quod quidam volunt. *l. 27. l. 41. ff. b. t.* Sed jure substitutionis propter hanc regulam; Substitutus substituto etiam substitutus instituto. Sed si sumatur quod Cajus præmortuus, pars deficientis Caji non ad Sempronium sed ad Marcum pertinet. Sed pone alium casum, Titius & Mævius heredes sunt instituti, Sejus Titio substitutus, jam queritur si Titius deficiat: num pars Titii ad Mævium cohæredem jure accrescendi, an ad Sejum jure substituendi pertineat. Ad substitutum pertinere R. quia substitutione fit ex voluntate testatoris, jus accrescendi ex lege. Nam Provisio hominis facit cessare provisionem legis. Præterea effectus substitutionis est quod substitutus succedat testatori, sed non heredi instituto *pr. Inst. b. t.* quia heredi nunquam fuit heres.

V III I.

Finitur autem substitutione herede instituto adeunte hereditatem *l. 5. Cod. de Imp. &c. al. subst. l. 3. l. 69. ff. de acquir. & Omitt. her.* suo vero se immiscente *l. 11. l. 87. ff. de acq. her.* Suo vero mortuo ante immixtionem bonorum patern: locus fit heredibus ab intestato vincentibus, idque vi solius existentie ratione suitatis §. 5. & 13. *Cod. de Cad. toll.* Sed ulterius queritur si ante apertas tabulas testamenti heres primo gradu institutus mortuus sit, utrum transmittatur hereditas ad heredes defuncti, ex constitutione Theodos. *l. un. de his qui ante. apert. tab.* an ad substitutum deferatur. R. Transmitti per d. *l. un. §. 5. & 13. Cod. de cad. toll.* Et quia non dici potest noluisse qui jus adeundi salvum transmittit ad heredes. Ulterius queritur, utrum vulgaris substitutione possit impedire transmissionem juris deliberandi. Quod negat: 1. Quia vulgaris substitutione habet illam conditionem si heres non erit, aut alium heredem non fecerit, at qui jus deliberandi transmittit, facit alium heredem 2. Quia jus accrescendi non impedit jus deliberandi *l. 3. C. de jure deliberandi 3. arg. l. un. §. 5. & 13. Cod. de cad. toll.* Sed quid si minori heredi instituto sic datus substitutus, minor adeuns hereditatem restituitur in integrum; num substitutus admittendus sit an non. Substitutum admitti defendi posse puto. 1. Quia per restitutionem fit, ut minor repudiet hereditatem, & sic existit conditio. 2. Quia mens testa-

I N A U G U R A L I S.

ii

testatoris est deficiente primo herede instituto admitti substitutum 3. Probant l. 44. ff. de re jud. & l. 1. §. 10. ad senat. Tertull. l. 2. §. 10. eod. Præterea finitur si heres bonorum possessionem secundum tabulas petierit, quia in omnibus vice heredum bonorum possessores habentur. l. 2. ff. de bon. possess. si possessio bonorum petita est contra tabulas, sustinetur substitutio l. 34. §. 2. ff. b. t. Sed quid, si heres quidem adeundo exclusit substitutum, sed tamen non vult adimplere conditionem, in tali casu iterum convalescere puto, quia reip. interest voluntatem testatoris exitum habere, si modo substitutus adimplere velit *Auth. hoc amplius C. de fideic.* Interit etiam si substitutus moriatur ante institutum, nec aliquid substitutus ad suos heredes transmittere potest, quia jus quod defunctus non habuit, non potest relinquere *arg: l. un: §. 5: C: de Cad: toll:* 3. Si deficiat conditio sub qua erat substitutus. 4. Si pater substituerit filio, cui postea filius nascitur, & sic agnatione nepotis tollitur substitutio l. 16: C: de fideicom: l. 6: C: de Inst: & subst. 5. Si ipse substitutus repudiaverit. Atque haec de substitutione sufficient vulgaris.

I X.

Pupillaris substitutio, quæ non expressa lege videtur stabilita, sicut vulgaris, quæ firma erat propter l. 12. tab. quæ sic habebat, prout quisque legassit super pecunia, tutelave sua, ita jus esto, sed tantum moribus intuitu patriæ potestatis. l. 2: ff: b: t: est qua pater liber liberis suis impuberibus in potestate patriæ existentibus testamento substitutum dat eum in casum, si heredes erunt & intra pubertatem decesserint *pr: Inst: b: l: 1: ff: b: t:* Pater enim solus vi patriæ potestatis testatur non tantum de suis, sed & de liberis bonis §: 2: *Inst: b: t: l: 2: ff: b: t:* Soli patres talem potestatem habent §: 2: & 3: *de patr: pot:* Mater ergo statim ad substituendum excluditur, quia mater in substitutione est extranea liberis, & liberi extranei matri, respectu sc: illius potestatis; nec obstat l. 33: ff: b: ibi vocantur tabulae pupillares non resp: substitutionis, sed resp: pupilli, & quod dicitur valet substitutio sc: vulgaris. Liberis impuberibus in potestate existentibus l. 2: ff: b: t: Si vero pater duos filios impuberes heredes instituat, & substituat, & postea ipsis extraneum substituat, ille extraneus non admittitur, nisi uterque in pupillari aetate decesserit l. 10: C: l. 42: ff: b: t: Etiam exheredatis, §: 4: *Inst: b: t: l: 1: §: 2: l: 10: §: 5: ff: b: t:* quia exhereditatio non tollit jus suitas, quia suum esse, est proximum in familia locum obtinere & esse

12 DISPUTATIO JURIDICA.

esse in patria potestate ; de jure vero novo aliquis dubitare posset, sed respond. jure novo pater potest substituere exheredato, sed causa exhereditationis vera expressa , nam alias totum testamentum corrueret & sic etiam substitutio *Nov: 115: cap: 3:* Filio vero præterito substituere non potest , quia ille rumpit totum testamentum *l: 30: ff. de liber & post.* Adoptatis ab extraneo substituit recte , quia manet patria potestas *§. 2. Inst. de adopt. l. pen. Cod. de adopt.* Arrogato impuberi recte substituit non solum in quarta, quam habet ab arrogante, sed etiam in omni illo quod accepit beneficio arrogatoris *l. 10. §. 6. b. t.* Emancipato vero non potest , quia solvitur patria potestas *§. 6. Inst. quib. mod. jus patr.* Naturalibus propter easdem rationes nequit. Hæreticis vero , cum etiam exheredatis substitui potest. Posthumo vero recte pater substituit *l. 2. ff. b.* quia quotiescumque de ipsorum utilitate agitur habentur pro jam natis *l: 7: l: pen. ff. de statu hom.* posthumo vero non nato exspirat substitutio *l. ult. C. de subst.* (quia non entis nullæ sunt affectiones. Cum jam nulla substitutio valet quin data sit pupillo in patria potestate existenti , nisi tantum nepoti *l. 2. ff. b. t. ex formula leg. Vellejæ l. 29. ff. de liber & postb. h.* Quid dicendum, si Pater ultra pubertatem substituerit , valente jure fideicommissi. R. non, sed statim interit pubertate existente *l. 14. ff. b. t. §. 8. Inst. b.* nec jure fideicommissi valere potest *l. 7. ff. b.* per verba obliqua quidem potest *§. 9. Inst. b.* Miles tamen ultra illam ætatem *l. 15. ff. b. t.* ita tamen ut verba directa post pubertatem flectantur in precaria *l. 8. Cod. de impub. & al. subst.* Ut jam pupillus sit in potestate requiritur non solum tempus testamenti facti *l. 49. §. 1. de hered. Inst. §. 4. Inst. de her. qual.* & regula juris est , quod ab initio non valet , tractu temporis non potest convalescere. Accedit præterea *l. 41. §. 2. b.* Sed etiam mortis iisdem legibus.

X.

Testamento. Ut omnis institutio debet fieri testamento , ita substitutio , sed pater sibi prius heredem scribat *l. 1. §. 3. ff. b. t.* nam sine hæredis institutione nihil in testamento scriptum valet. *§. 5. Inst. b.* & soli filio non potest scribere heredem *l. 2. §. 1. ff. b. t.* ubi tamen habetur exceptio n: in milite. Et quia pupillaris substitutio est pars & sequela testamenti paterni *l. 38. §. 3. b. t.* ordo tamen scripturæ si conjunctim , sive statim heres instituatur , & substitutus substituatur non videtur requiri *l. 2. §. 5.* ubi dicitur valere substitutionem licet conversa scriptura concipiatur , secus si ex intervallo *l. 2. §. 4. ff. b. t.*

INAUGURALIS.

13

b. t. Potest tamen pater iisdem tabulis testamenti heredem filio & sibi scribere §. 3. in fin. Inst. b. & §. 2. eod. ubi vocatur unum testamentum duarum causarum seu hereditatum sic etiam in l. 2. §. 4 ff. b. t. & recte unum dici potest n: ratione causæ efficientis, quia unum habet auctorem: ratione formæ, quia unica solemnitate fit l. 20. ff. b. t. ratione subsistentiæ, quia pupillare per se non substitit, l. 38. §. 3. ff. b. t. sic rupto testamento patris etiam rumpitur testamentum filii. l. 2. §. 1. l. 10. §. 4. ff. b. Atque hinc est quod in patris & filii nra falcidia servatur l. 11. §. 5. ff. ad l. *Falcid.* Quod juri accrescendi locus est inter legatarios pupilli & patris ut inter re conjunctos l. 34. §. 10. ff. *de leg.* 1. Sed si pater scrupulosus sit, ut timeat pupillo hoc periculofum fore, non tantum potest separatim in inferioribus tabulæ partibus pupillo heredem scribere, & separatim consignare §. 3. Inst. b. Sed potest etiam pater alia hora separatum testamentum filio facere l. 16. §. 1. ff. b. t. adhibitis iterum omnibus solemnitatibus. In testamento minus solenni substituit recte liberis suis, si ipsi liberi substituantur l. 26. C. fam. ercise.

X I.

Pupillaris jam substitutio est vel expressa vel tacita. Expressa est quæ fit his verbis *Tuus filius meus heres si in pupillari etate decesserit, Cagus heres esto.* Tacita quæ ob vulgarem expressam producitur ad pupillarem l. 4. b. l. 2. Inst. b. idque ob præsumptam voluntatem testatoris. Substitutio hæc est vel pura vel conditionalis, pura vel pure concepta hoc modo fit *si filius meus intra pubertatem decesserit, Sejus heres esto,* & in ista substitutione non requiritur, ut institutus sit heres patris. Sub conditione autem *si mibi heres erit,* substitutus non est heres pupillo, nisi etiam sit heres patri l. 8. b. t. Vel fit nominativum, ut sic *Filius Meus heres esto, si impubes decesserit, Titus heres esto.* Vel generaliter *Quisquis mibi erit heres, filio meo imponeri erit heres.* l. 3. 10. ff. b. l. ult. C. b. §. 7. Inst. b.

X I I.

Effe&tus substitutionis est, quod substitutus succedat in omnia bona defuncti pupilli l. 6. & l. 10. §. 5. ubi exceptionem videas. ff. b. ut ipsius heredes pr. Inst. b. t. imo etiam ad patris, si filius impubes abstinuerit se hereditate paterna, vi vulgaris substitutæ, ut modo demonst: substitutus admittitur ad hereditatem paternam. Vi autum pupillaris expressæ, quam tunc confirmat nuda sui heredis existentia, de qua ante, bona quoque

DISPUTATIO JURIDICA

fili ad substitutum veniunt. *l: 12: b. t. t: l: 41: 42: de acq: her l: 28: de reb: aut: iud: possid:* Potest tamen substitutus illam substitutionem ex vi vulgaris tacite profluentem omittere, & hanc ex substitutione pupillari amplecti *l: 12: b: t:* si jam hereditas patris ita obserata est, ut non possit satisfieri creditoribus ex hereditate patris repudiata, substitutus filio impuberi non tenetur solvere creditoribus ex hereditate filii ipsi postea obveniente *l: 28: ff: de reb: aut: iud: possid.* Præterea ille substitutus excludit omnes heredes ab intestato venientes *l: 8: §: 5: de inoff: testam.* ita ut mater præterita non habeat querelam in-officiosi *§: eod: sed tamen* matri legitima adjudicanda est ex bonis filii, sed non patris, quia pater quidem uxorem excludere potest; sed filius non potest excludere matrem propter debitum naturale, at quæ juris naturæ sunt nemo mutare potest. Et præterea est *l: 4: Cod: de emancip: liber* ubi expresse dicitur, quod nemo potest in alterius injuriam beneficia tribuere. Sed dicunt matri nulla actio data est ad consequendam legitimam, quod concedo, sed tamen ipsi data est condic̄tio ex lege *l: un: ff: de condic̄t: ex lege.* Jam omnes in hoc consentiunt, matrem excludi per pupillarem expressam à bonis paternis, sed quoad ad tacitam negantium opinio mihi magis placet propter *l: fin: C: de subst: & inffit.* Quasnam partes substitutus acquirere potest in vulgari substitutione dictum.

X III I.

Finitur substitutio variis modis, 1. Pubertate i. e. anno 14. in masculis, anno 12. in fæminis completo. *l: 14: ff: b: §: 8: Inff: b:* si tamen testator brevius tempus præscripsit eo tempore finito *l: 21: ff: b:* Si pupillo pubertati proximo fuerit substitutum pupillariter, & jam post pubertatem pupillus abstineat se bonis paternis, quia casus expressus sub se continet casum non expressum ut ante. 2. Quotiescumque patria potestas tempore mortis sit soluta *l: 41: §: 1: ff: b:* vel principio testamenti facti non ad fuerit ut ante demonstratum. 3. Substitutionis conditione deficiente *l: 8: ff: b: t: 4:* Testamento infirmato, & substitutio infirmatur *pr: Inff: b: t: l: 2: §: 1: l: 10: §: 4: ff: b:* Secus autem est, si partim rescissum sit *l: 8: §: 5: in fin: ff: de inoff: testam.* vel si bonorum possessio petita sit secundum tabulas *l: 34: §: ult: ff: b:* Per bonorum possessionem vero contra tabulas non rescinditur substitutio, quia illa est à prætore,

tore, & hæc à jure civile, nam prætor non potest facere heredem, ergo nec desinere, §: 2: *Inst: de bon: possess.*

X I V.

Quasi pupillaris seu exemplaris, (ut vulgo à Doct: vocatur) quia ad exemplum pupillaris constituta §. 2. *F. b. t.* & quia eadem ratio obtinet, quæ in pupillari, n: quod sibi non possint facere testamentum, est qua parentes liberis suis mente captis, & furiosis sive in potestate sint, sive non, substituunt eum in casum, si sic permaneant & decedant §. 1. *Inst.* & l. 9. *C. t.* Possunt vero substituere parentes utriusque sexus, non solum pater, sed & mater, non solum avus paternus, sed & maternus, quia non patria potestas, sed solum humanitas attenditur l. 9. *C. b. t.* Substituitur mente captis, furiosis l. 9. *Cod. b. t.* & ob identitatem rationis furdis, mutis: nim: si ipsi non possunt testari, prodigiis, liberis naturalibus & legitimis simul, legitimatis, naturalibus tantum, nepotibus & neptibus, institutis vel exheredatis. arg. §. 2. & l. 9. Modus substituteendi fere idem est ac in pupillari, nisi quod liberi ejus, cui substituitur, & si plures sunt liberi, omnes substituendi, saltem in legitima, quia legitima liberis jure naturæ competit, si non sunt liberi, fratres vel certi, vel omnes substitui debent l. 9. *in fin. Cod.* Mater vero à patre præteriri & exheredari potest arg. corum quæ dicta sunt ad pupill. legitima salva manente,

X V.

Substitutione hæc iterum est vel expressa vel tacita. Expressa quæ fit verbis expressis e. g. *Si filius mens in furore decebat, Titulum substituo.* Tacitam quam duplicum statuunt, prima quæ sub expressa vulgari vel pupillari continetur ex: g: Pater filio impuberi substituens, quia testari nequit, præsumitur eodem filio substituisse in eum casum, si furiosus decedat. Altera, quæ mixta dicitur, est, quando sub uno casu præsumitur alius, exempl. gr. Si testator substituerit filio suo, quatenus furioso, filius ille furiosus sit sanæ mentis, sed ex furioso sit prodigus, jam casus prodigalitatis præsumitur sub casu furoris.

X V I.

Effectus substitutionis hujus est, ut substitutus admittatur ad bona furiosi vel prodigi &c. Si plures parentes substituerint, substitutus admittitur ad bona à substituente profecta, quia utrique parenti æquum jus est! Sed in bonis aliunde quæsitis, volunt

Docto-

16 DISPUT. JURID. IN AUGUR.

Doctores, præferri substitutum à patre datum, cui in casu isto potius jus esset ratione patriæ potestatis: sed si pater non substituerit bona ista inter substitutos ab aliis ascendentibus dividenda esse

X V I I.

Exspirat haec substitutio morbo vel vitio abscedente in totum quia tunc ipse testari potest. l. 9. C. b. l. 43. ff. h. redeunte vero morbo, si interea temporis, dum sanæ mentis fuerit, non fecerit testamentum, substitutio convalescit: ut multis placet. Extinguitur prætererea liberorum supervenientia l. 43. h. præterea iisdem modis, quibus extinguitur pupillaris, expirat quasi pupillaris.

X V I I I.

Postquam jam vidimus quomodo substitutiones fiant, & solvantur, non absonum fore puto, si inspiciamus differentias vulgaris, Pupillaris & quasi Pupillaris. Illa fit à quovis testatore pr. Inst. de V. S. ista à solo patre pr. Inst. h. hæc ab omni parente. §. 1. Inst. de P. S. 2. Illa fit cuivis hæredi tor. tit. ff. & f. ista tantum liberis impuberibus in potestate existentibus pr. In. de P. S. hæc furioso §. 1. Inst. de P. S. l. 9. C. eod. 3. Illa fit jure communi pr. Inst. de V. S. ista moribus solius patriæ potestatis intuitu l. 2. ff. h. t. hæc humanitatis ratione l. 9. C. b. t. 4. Illa facit heredem testatoris substitutum, ista & hæc heredem filii pr. Inst. l. 4. ff. h. l. 9. C. eod. 5. In illa testatoris, in ista & hac filii bona ad substitutum devolvunt; iisdem legg. 6. In illa & ista quivis substitui potest t. t. n. in hac ordo substituendi legibus præscriptus est l. 9. C. b.; 7. In illa una est hereditas l. 10 ff. h. t. in ista & hac duæ hæreditates §. 5. Inst. de R. S. l. 7. l. 16. §. 1. ff. h. t. l. 9. C. eod. 8. Illa finitur herede adeunte hereditatem l. 5. C. b. ista pubertate l. 7. l. 14. ff. h. hæc morbo deficiente & liberorum supervenientia. l. 9. C. b. l. 43. ff. b. Atqui hæc jam de substitutionibus dixisse sufficient, quarum tanta est subtilitas & altitudo, ut compendiaria interpretatione exauriri nequeat. Teste Wesembecio in comm. ff. ad hunc titulum. Quare etiam lectorem benevolum rogatum velim, ut æquo animo ferat, si quædam scripta sint, quæ palato ipsius non sapiunt, aut si stylus ipsi non satis cultus & ornatus esse videtur, cogitet me hic non esse litteratorem, sed tantum juris tyronem, & si forte alia non recte posita occurrant, imputet omnia penurie librorum & angustiæ temporis.

F I N I S.